

46. *Est attendenda consuetudo loci, ac monasterii.* — Pro securitate autem conscientiae tam superiorum, quam monialium multum juvabit, imo necesse erit, attendere consuetudinem loci, et monasteriorum; cum enim clausura solo iure humano ecclesiastico sit introducta, juxta communem, eidem cum tempore per consuetudinem derogari potest, c. fin. de Consuetud. dummodo saltem per decem annos vigere cognoscatur; quia hoc tempore legi humanae etiam ecclesiasticae, ac pontificiae per consuetudinem derogatur, ut docuimus, lib. I. Decret. tit. IV. de Consuetud. n. 105. et seqq. Quamvis alii quadraginta annos requirant, prout videre est ibidem. Et quidem vi solius consuetudinis in aliquibus monasteriis ut licitum permitti potest, quod dum principes personae intrant clausuram monialium in aliquo numero aliae quoque personae etiam peregrinae, et quae personas principes alias comitari non solent, neque de ejusdem ordinario comitatu sunt, simul ingredi permittantur; cum eis nec ulla jura, nec aliqua suffragetur auctoritas doctorum; utpote, qui illis solis cum principibus personis ingressum admittunt, quae dictas personas ordinarie comitari solent, sive de earum ordinario comitatu sunt, per dicta n. 44.

47. *Præsertim in personis extraneis ad comitatum non pertinentibus.* — Quod si quaeras, quot numero personae hujusmodi de ordinario comitatu non existentes, cum principibus personis intrare et admitti valeant? Resp. Tot, et non plures, quot admittendi in aliquo monasterio viget consuetudo per decem saltem annos vigens. Nec potest consuetudo unius monasterii alteri monasterio esse in hoc regula; cum non detur communicatio consuetudinis, sicut privilegiorum, « per vulgaria: » consequenter per hoc, quod in uno monasterio introducta reperitur consuetudo, majorem numerum v. g. triginta circiter admittendi cum principibus personis, non possunt absque peccato tot admitti in alio monasterio, ubi non tot, sed minorem numerum v. g. duodecim admittendi viget consuetudo. Sicut e contra per hoc, quod in uno monasterio adsit consuetudo paucos tantum extraneos admittendi cum principibus personis, aliud monasterium, vel superiores majores numerum admittentes peccati damnari non possunt, si plures admittendi debito tempore vigeat ibidem consuetudo; quia, ut dictum, unica

regula in his de ordinario non existentibus extraneis admittendis, vel repellendis desumi debet ex consuetudine, utpote quae in hoc passu unicus admittendi titulus est, quo absente, strictissimae subintrat clausurae obligatio: ut proin superiores graviter obligentur vigilare, et omni modo cavere, ne plures hujusmodi, quam consuetudo habet, ad clausuram admittant. Pro quo etiam brachium saeculare, si opus est adhibere debent; et praecipue pro auxilio invocare ordinarium loci, utpote in hac causa etiam in monasteriis monialium legitimum judicem, et Sedis apostolicae delegatum, prout notatur in concilio Tridentino, sess. 23. cap. v. de Regular.

48. *Quid juris, si plures principes personae simul ingrediantur?* — Si ulterius quaeras, an in casu quo plures filii aut filiae principissae praefatarum sublimium personarum clausuram ingrediantur, possit cum quovis ordinarius solitus ejusdem comitatus et aliarum personarum admitti solitus numerus simul ingredi? Resp. posse quidem cum quovis ordinarius, et pro illo deputatum comitatum ingredi per dicta n. 44; non posse autem juxta numerum principum personarum multiplicari numerum personarum extraneorum de comitatu ordinario non existentium: v. g. si vi consuetudinis cum una principe persona duodecim admittuntur, non possunt admitti triginta sex, si tres personae principes ingrediantur; nisi et hoc habeat consuetudo debito tempore introducta. Ratio est quae supra, quia nempe sola consuetudo his personis licitum facit ingressum.

49. *Electores et principes romani imperii licite ingrediantur clausuram.* — Porro quae hactenus de imperatoribus et regibus, eorumque uxoribus, et prolibus dicta sunt, etiam ad electores et principes sacri romani imperii, eorumque uxores, et proles probabiliter extendi possunt; eo quod de iis eadem, quae de regibus et imperatoribus militant fundamenta et rationes, consequenter eadem legis dispositio arg. l. Ideo. ff. de Legib. l. Non possunt. ff. eod. cum concord. Nec obstat, quod in Bulla Gregorii XIII. Pauli V. et Pii V. excipiantur comitissae, marchionissae, ducissae: nam contra est: quod etiam electores, et electrices sacri romani imperii, sint his superiores, consequenter in lege odiosa, nisi exprimantur, non comprehenduntur. arg. c. 81. de Reg. jur. in 6. Accedit

praxis et consuetudo saltem in Germania passim vigens.

50. *Monitum pro superioribus.* — Caeterum quamvis juxta dicta nec superiores, nec moniales peccent admittendo cum principibus personis aliquem etiam majorem numerum aliarum personarum juxta consuetudinem monasterii; nihilominus eisdem superioribus liberum erit, per salubres constitutiones, et convenientia media talem consuetudinem moderare, et numerum plus justo majorem reducere, praesertim ubi vident, quod alias varia emergant inconvenientiae, vel scandala; dummodo sine proprio, et monasterii gravi incommodo id facere possint.

51. *Fundatores non possunt ingredi clausuram.* — Limitant aliqui conclusionem n. 38. positam, etiam in fundatoribus, et fundatricibus monasteriorum. Verum contrarium declaratum habetur a sacra Congregatione, cujus declarationem refert Hyacinth. Donatus, tom. IV. tract. V. q. 43, ut proin his ingredi non liceat, nisi aliud habeant ordinis constitutiones, aut loci consuetudo, aut sint personae principes, ut supra.

52. *In personis non privilegiatis requiritur moralis necessitas.* — Queritur V. Ob quas causas personis alias intrare clausuram prohibilis, licitum sit ingredi clausuram monialium? Resp. Non sufficit quaevis causa, sed requiritur, ac etiam sufficit moralis aliqua necessitas, sive circa monasterium, sive circa communitatem, sive circa monialem in particulari occurrens, cui absque ingressu externorum per moniales, vel aliter succurri commode non potest. Roderiquez, tom. I. q. 46, a. 4; Miranda, de Sacris Monial. q. 2. a. 7; Sanchez, lib. VI. Moral. cap. XVI, a. n. 39; Barbosa, de Offic. et potest. episc. allegat. 102. an. 48; Hyacinth. Donatus ubi supra q. 49; Pirhing, h. t. n. 42; Portiel., in Dub. regul. §. Clausura. n. 4. et communis aliorum, arg. c. un. de Statu regul. in 6; ibi: « Nisi manifesta et rationabilis causa extiterit, » et concilium Tridentinum sess. 23. de Regul. cap. v. ubi dicitur, quod licentia intrandi dari tantum possit, « in casibus necessariis, » intellige moraliter, quod idem habet constitutio Gregorii XIII. Ubi gratia, ibi: « In necessitatibus urgentibus duntaxat ingredi liceat, » etc. quos omnes tres textus idem dicere, et moralem necessitatem exigere pluribus ostendit Roderiquez, loc. cit. ubi etiam cum aliis docet, minorem causam sufficere ad ingres-

sum foeminae, quam viri, quia illius ingressus minus periculosus, est quam iestius.

53. *Enumerantur plures similes necessitatis casus.* — Infertur in sequentibus causis et casibus licitum esse ingressum I. medici, chirurgi, medendo infirmitatem monialium necessarii; II. fabri, ministri et operarii necessarii pro constructione, conservatione, aut reparatione alicujus aedificii, vel similibus operibus perficiendis, prout exemplificat Glossa, in cit. c. un. de Statu in 6, §. Causa; III. et teste Sanchez, loc. cit. n. 43. Omnes; ubi etiam cum Navarro addit sartores pro vestibus, non item sutores pro calcibus conficiendis, quia hi ostensa eis mensura calcei, vel ipso calceo, extra commode sua peragere queunt, non item sartores; IV. bajuli portantes monasterio necessaria tam onerosa, ut a monialibus plerumque debilioribus commode portari nequeant; Sanchez, loc. cit. n. 56; V. hortulani pro interiori horto, Sanchez, loc. cit.

54. VI. Famulae saeculares ad serviendum intus monasterio non tantum ad breve, sed etiam ad longum tempus, casu quo non possunt habere professas ad viliora munera v. g. lavandum, purgandum monasterium etc. quadrantes; dummodo nunquam e monasterio egrediantur, sed una cum monialibus clausuram servent, donec omnino dimittantur. Roderiquez, loc. cit. q. 44. a. 4. ubi id late probat; Pirhing, h. t. n. 4; Miranda, loc. cit. a. 5.

55. *Confessarii monialium in quibus casibus possint ingredi?* — VII. Et quidem principaliter confessarii in casu, quo monialis aliqua ob infirmitatem alia via ad confessarium, vel hic ad illam commode venire nequit, ad audiendam ejusdem confessionem, et administranda eidem sacramenta. Omnes: quod non tantum pro articulo mortis, sed etiam pro quovis tempore, quo aliae moniales communicant, vel confitentur, intelligendum venit, uti bene docet Roderiquez, tom. I. q. 47, a. 4, id probans ex declarationibus pontificum; Sanchez, loc. cit. n. 43; Barbosa, alleg. 102. n. 49; Miranda, cit. q. 2. a. 7. cum communi aliorum. Quin imo docet Roderiquez, et Sanchez, loc. cit.; Barbosa, loc. cit. n. 49; Portiel., ubi supra n. 9, etiam tunc licere, quando aliis non communicantibus, aut confitentibus, infirma dicit, se poenitentiae sacramento indigere praesertim ab initio morbi, arg. c. Cum infirmitas. de Poenit. et remiss.

56. *Et ibidem celebrare missam.* — Addit Roderiquez, loc. cit. § *Dubitatur præterea*; Miranda, loc. cit. q. 2, a. 18, conclus. 2; Barbosa, *de Offic. et potest. episc.* alleg. 102, n. 49, posse etiam prælatum, vel confessarium monialium in diebus, quibus cæteræ moniales confitentur, et communicant, intrare clausuram ad celebrandum ibidem in infirmary, et oratorio, vel altari ibidem decenter præparato, et communicandum unam, vel plures infirmas, idque ex concessione Leonis X, quam in formalibus refert loc. cit. Roderiquez, Barbosa et Miranda, qui etiam bene deducit, dictum privilegium nullibi esse revocatum; quamvis ibidem conclus. 1. concedat, illicitum hodie esse quovis tempore celebrare in infirmary ad solum finem, ut infirmæ audiant Missam, vide eundem. Plures casus vide apud doctores citatos, præsertim Roderiquez, Mirandam, Sanchez, Portell., Barbosam, ac etiam Pelliz., t. I, tract. X, cap. v, sect. 3, et seq, qui fuse materiam clausuræ examinant.

57. *Ad ingrediendam clausuram requiritur licentia superioris. Cujus? —* Quæritur. VI. An? quando? et cujus licentia requiratur ad licite ingrediendam clausuram monialium? Resp. I. Ordinarie loquendo in monasteriis immediate summo Pontifici, aut episcopo subjectis, præter necessitatem moralem hactenus declaratam necessaria est, et sufficit licentia episcopi: in monasteriis vero exemptis requiritur, et sufficit de jure sola licentia superioris ordinis, juxta ordinis constitutiones, vel consuetudinem. Prima pars caret controversia. Secunda vero docetur a Barbosa, *de Offic. et potest. episc.* alleg. 102, n. 40; Sanchez, lib. VI, cap. xvi, n. 12; Miranda, *de sacris Monial.* q. 2, a. 2; Suarez, tom. IV, *de Relig.* lib. I, cap. x, n. 11 et seq. Navarro, in c. *Statuimus.* caus. 49, q. 3, n. 6; Roderiquez, loc. cit. q. 46, a. 2; Pirhing, h. t. n. 43. Et probatur utraque pars ex c. un. *de Statu regul.* in 6, ubi, dum dicitur, quod requiratur « licentia illius, ad quem pertinet, » satis inquitur, non in quovis monasterio ad eundem pertinere; et concilio Trident. sess. 25, cap. v, *de Regular.* ubi divisive loquens dicit: « Quod nemo ingredi possit clausuram monialium, sine episcopi, vel superioris licentia in scriptis obtenta: dare autem episcopus vel superior licentiam tantum debet in casibus necessariis. » Quo divisivo loquendi modo tacite indicat, diversam pro diversitate monasteriorum requiri,

et sufficere licentiam. Accedunt declarationes cardinalium, quarum unam pro parte secunda, videlicet, quod ad ingrediendam clausuram monialium exemptarum sola requiratur, et sufficiat licentia superioris regularis, non tantum allegat, sed se vidisse eandem (nam de prima non est controversia) manu cardinalis Milin. signatam anno, quo scripsit, testatur Barbosa, loc. cit. n. 41. atque Tamburinus *de Jure abbat.* disp. 23, q. 1. n. 6. Ratio autem conclusionis est, quia illius est dare licentiam ingrediendi clausuram, cujus est, illam indicare, juxta vulgaria juris, « per quascunque causas res nascitur, per easdem dissolvitur; » atqui in monasteriis exemptis clausuram indicare, superiorem est, utpote qui plenam jurisdictionem in moniales, uti in fratres exercent, easdem visitando, corrigendo, puniendo; ergo. Dicitur tamen notanter « de Jure, » quia uno ore fatentur doctores, vi consuetudinis fieri posse, ut etiam in monasteriis exemptis episcopi licentia requiratur, vel sola sufficiat: e contra in monasteriis non exemptis requiratur etiam licentia superioris, arg. c. fin. *de Consuetud.*

58. *Requiritur licentia specialis in scriptis obtenta.* — Resp. II. Ad ingrediendum clausuram monialium requiritur licentia specialis, et in scriptis obtenta. Communis, claris claris juribus, et quidem quod debeat esse *specialis*, patet c. un. *de Statu regul.* in 6. ibi: « Speciali licentia; » intellige quoad ingressum, non quoad personam, id est, specialiter pro ingressu debet obtineri licentia, etsi non semper specialis fiat mentio personæ, ut cum communi bene advertit Sanchez, loc. cit. cap. xvi, n. 28. Quod autem debeat esse in scriptis obtenta, habetur ex concilio Tridentino sess. 25. *de Regul.* cap. v. ubi prohibetur ingressus « sine licentia in scriptis obtenta. »

59. *Nisi adsit repentina necessitas.* — Limitatur tamen conclusio in casibus repentinæ necessitatis, et ubi est periculum in mora, si licentia superioris in scriptis exspectetur; tunc enim sufficit licentia oretenus data, vel etiam interpretativa, si etiam circa hanc obtinendam est periculum in mora; ut contingere solet, si necessarius est ingressus confessarii, medici, chirurgi, fabrorum, operariorum, etc., et superior est absens, vel facile conveniri nequit. Sanchez, loc. cit. n. 4; Roderiquez, tom. I, q. 46, a. 2. in fine; Barbosa, allegat. 102, n. 57; Hyacint. Do-

natus, tom. IV, tract. V, q. 20; Navarrus, Comment. 4. *de Regular.* n. 60. et communis. Ratio est, quia alias in hujusmodi necessitatibus non esset satis consultum monialibus.

60. *Nisi adsit casus ordinarius, medici, v. g. chirurgi, etc.* — Imo docent aliqui, ut Miranda, *de Sacris Monialibus.* q. 2. a. 17. conclus. 1; Roderiquez, loc. cit.; Liams in *Methodo curationis*, in *Appendice.* § 6. paulo post initium, et alii contra Sanchez, cit. lib. VI, cap. xvi, n. 33 et 34. in ordinariis necessitatibus casibus, quibus ingredi possunt. v. g. confessarii, medici, chirurgi, operarii, opifices, fabri, etc. omnino non requiri aliquam licentiam specialem in scriptis, vel oretenus obtentam, etsi superior ad manum sit, et licentia facile obtineri possit; sed sufficere licentiam abbatissæ, idque ex interpretativa licentia episcopi, vel superioris, vel quia in his casibus licentia habetur a Jure, prout dicit, et pluribus concessionibus pontificum probat Miranda, loc. cit. Quæ sententia omnino probabilis, et in praxi tuta est; præsertim cum etiam regularissimorum monasteriorum praxi et consuetudine, quæ est optima legum interpretis, l. 37. ff. *de Legib.* confirmetur.

Infertur proin, quod conclusio n. 58. posita, intelligenda, et expressa licentia episcopi vel superioris necessaria sit, non in dictis ordinariis, sed aliis extraordinariis necessitatibus casibus.

61. *Episcopi et superiores nec aliis licentiam clausuram intrandi dare possunt.* — Quæritur VII. An episcopi; et superiores regulares licentiam intrandi clausuram aliis dare pro libitu possint, et an ipsi pro libitu intrare valeant? Resp. I. Nec episcopus, nec superior localis alicui, cuicumque tandem etiam nobilissimo comiti, aut comitissæ, parenti, consanguineo, etc. vel benefactori monialium dare licentiam clausuram intrandi potest, etiamsi aliqua allegetur causa rationabilis, nisi vera adsit necessitas moralis. Omnes, ob claram dispositionem concilii Tridentini, cit. sess. 25. *de Regul.* cap. v. ibi: « Dare autem episcopus, vel superior licentiam debet tantum in casibus necessariis, » et constitutionem Gregorii XIII. *Ubi gratia*, quæ est ordine 28. in *Bullar. Cherub.* ubi § 4. expresse habetur, quod episcopi et superiores « tantum in casibus necessariis, et urgentibus necessitatibus » licentiam clausuram intrandi dare valeant.

v.

62. *Nec ipsi intrare valent extra casum necessitatis.* — Resp. II. Nec episcopi, nec superiores regulares ingredi possunt clausuram monialium, præterquam in casibus necessariis, quibus existentibus absque ulteriori licentia, a majoris superiore obtenta, intrare valent. Miranda, cit. q. 2, a. 14, concl. 1, 2 et 3. dicens conclusionem esse certissimam, Sanchez, lib. VI, cap. xvi, n. 25; Hyacint. Donatus, loc. cit. q. 22; Roderiquez, tom. I, q. 46, a. 1. princ.; Pirhing, h. t. n. 43; Pelliz. tom. I. tract. V, sect. 3, n. 111. cum communi, et hodie certa aliorum, ob claram dispositionem Gregorii XIII. in constitutione *Dubiis*, quæ est opposita constitut. 28. dicti Pontificis, in *Bullar. Cherub.* ubi § 1. sic habetur: « Harum tenore auctoritate apostolica declaramus, prælatos omnes, tam sæculares, quam regulares, quibus cura et regimen monasteriorum monialium quovis modo incumbit, facultate sibi ex officio attributa ingrediendi monasteria prædicta, ita demum uti posse; si id faciant in casibus necessariis, et a paucis, iisque senioribus ac religiosis personis comitati. Quocirca universos et singulos episcopali, seu majori etiam cardinalatus dignitate præditos, necnon quorumvis ordinum abbates, priores, ministros, et alios quoscunque superiores regulares serio monemus, ut facultate hujusmodi, qui eam habent, præterquam in casibus, ut præfertur, necessariis, neququam utantur. »

63. *Inter casus necessarios est causa visitandi, non item causa induendi novitiam, vel electionis.* — Inter casus autem necessarios, ob quos episcopus, vel superiores regulares ingredi possunt clausuram monialium, præcipue numeratur causa visitationis, ut cum communi notat Sanchez, loc. cit. n. 54; Barbosa, *de Offic. et potest. episc.* n. 43; Miranda, loc. cit. a. 15, conclus. 3. ita tamen, ut sint comitati duobus vel tribus sociis, iisque senioribus, ac religiosis, ut ait Gregorius XIII. Inter dictos veros casus necessarios non censetur causa induendi novitias, vel eas ad professionem suscipiendi, aut illas, vel etiam professas examinandi; uti bene advertit Lezana, §. *Clausura.* n. 32; Hyacint. Donatus, tom. IV, tract. V, q. 12, n. 7, atque a sacra Congregatione decisum refert Barbosa, lib. I, *Juris Eccles. univ.* cap. XLIV, n. 151. Ratio est, quia hæc commode fieri possunt extra ad crates. Pariter non possunt ingredi ex causa præsidendi,

vel interessendi electioni abbatissæ v. g. prout expresse statuitur in concilio Tridentino, sess. 25. de Regul. cap. VII. ibi : « Is vero, qui electioni præest episcopus, sive alius superior claustra monasterii non ingreditur, sed ante cancellorum fenestellam vota singularum audiat, vel accipiat. »

64. *Nisi adsit consuetudo, vel extraordinaria circumstantia.* — Observat tamen Roderiquez, loc. cit.; Miranda, loc. cit. concl. 3; Barbosa, de Offic. et potest. episc. alleg. 102, n. 46; Hyacinth. Donatus, ubi supra, posse in causa electionis superiores ingredi clausuram, quando prudenter timetur, quod ipsis non intransibilibus sint securæ collusiones, factiones, indeque subsequens inquietas, vel mala, vel omnino non canonica electio. Pariter licebit, ubi consuetudo id habet, qualis in provincia nostra reformata viget.

65. *Licite ingrediens, quandiu in clausura manere possit?* — Queritur VIII. An episcopi, superiores, vel alii clausuram licite ingressi debeant finito negotio, necessitate, aut causa, ob quod vel ob quam ingressi sunt, statim iterum exire, ita ut peccent ibidem se detinendo? Resp. Quamvis finito negotio, vel cessante causa, debeant brevi iterum redire, nec diu ibidem se detinere possint, tamen si post finitum negotium modico tantum tempore ibi se detinent, v. g. consolandi infirmam, vel etiam visitandi, aut videndi monasterium, aut officinas ejusdem, vel etiam aliqualis discursus gratia, non peccant. Primam partem, quod brevi iterum exire debeant, docent Barbosa, loc. cit. n. 57; Sanchez, loc. cit. n. 68; Miranda, cit. q. 2, a. 20; Roderiquez, tom. I, q. 47, a. 11; Pelliz. tom. II, tract. X, cap. v, sect. 3, n. 166, et communis aliorum. Ratio est, quia « quod ob necessitatem conceditur, cessante necessitate, pariter cessare debet, » can. *Quod pro necessitate*. 41, cau. 1, q. 1. Secundam partem, quod modice se detinens non peccet, docent omnes citati. Ratio est, tum quia præceptum clausuræ numeratur inter præcepta moralia, consequenter in sensu morali intelligendum venit, in quo tam modicum tempus non attenditur; tum quia in tanto rigore præceptum clausuræ non videtur receptum, teste consuetudine. Quantum autem tempus requiratur, ad hoc, ut quis finito negotio se detinens, peccet mortaliter, non est facile definire; Lessius, lib. II, cap. XII, r. 32, putat, quod per qua-

drantem se detinens, nec venialiter peccet; notabiliter vero ultra mediam horam moram trahens, peccet mortaliter, et sequitur Pelliz. loc. cit. qui tamen hoc ultimum limitat; ibi, ubi introducta viget consuetudo diutius se continendi, quæ utpote contra solam legem humanam licita et valida esse potest, c. fin. de Consuetud. Sed occasione hujus :

66. *Circa clausuram monialium etiam attendi debet consuetudo : quæ tamen, si incipit esse præjudiciosa, debet tolli per episcopum.* — Queritur IX. An, et quid valeat circa clausuram consuetudo? Item quid circa eam incumbat episcopo? Resp. Quamvis contra clausuram monialium tam quoad egressum, quam ingressum licita et valida sit consuetudo rationabilis et legitime introducta, id est tempore debito per decem saltem annos continuata, ita ut vi illius in variis monasteriis ubique circa clausuram licita sint, et permitti possint, quæ de jura prohibita cognoscuntur, prout cum communi et recepta aliorum jam sæpe dictum; eo quod clausura solo obliget jure humano ecclesiastico, contra quod utique licite et valide introduci potest consuetudo, textu claro c. fin. de Consuetud. et late diximus in lib. I. Decretal. tit. IV. de Consuetud. Nihilominus si animadvertunt reverendissimi ordinarii, quod occasione hujusmodi consuetudinum in monasterio aliquo varia eveniant inconuenientia, vel nascantur scandala, aut notabiliter patiatur disciplina regularis, etc. possunt, et gravissime tenentur hujusmodi consuetudines tollere, vel saltem pro exigentia circumstantiarum moderari, ipsamque clausuram denuo restituere : ubi vero hujusmodi consuetudines nondum vigent, ne tiquam permittere, ut introducantur, sed potius debite vigilare, et procurare, ut clausura semper inviolata conservetur, et hoc non tantum in monasteriis sibi subjectis, sed etiam exemptis. Ita communis doctorum ob clara verba concilii Trident. sess. 25. de Regular. cap. v. ubi gravissimam hanc obligationem tremendis verbis imponit episcopis, quæ verba habes supra n. 28. Ratio est, quia consuetudo, quæ vel ab initio, vel cum tempore incipit præbere occasionem peccandi, vel est utilitati communi pernicioiosa, non amplius est rationabilis, sed irrationabilis et mala corruptela, sicque nec licita, nec valida, c. fin. de Consuetud. et amplius diximus lib. I. Decretal. tit. de Consuetud. § 2. num. 33. et seqq.

67. *Et superiores ordinis : quomodo? Episcopus potest visitare monasteria monialium exempta in puncto clausuræ.* — Porro licet concilium Tridentinum, loc. cit. solis episcopis gravissimam illam imponat obligationem, nullam faciendo mentionem de superioribus regularibus. Nihilominus ipsi quoque possunt, et tenentur, quantum in ipsis erit, similes consuetudines occasionem peccandi præbentes, aut hono communi, disciplinæ v. g. regulari notabiliter perniciosas tollere, vel moderari in monasteriis sibi subjectis; hoc ipso, quod vi officii sui pastoralis graviter leneantur, a communitate, et subditis sibi commissis ea, quæ peccaminosa, scandalosa, aut communitati pernicioiosa sunt, pro viribus avertere, juxta unanimem doctorum : ubi notare habent, quod, dum prævident, vel experiuntur se nihil efficere, possint et debeant ad reverendissimum loci ordinarium recurrere, qui auctoritate majori pollens, magis poterit, etiam censuras ecclesiasticas, invocato quoque, si opus erit, auxilio brachii sæcularis, succurrere, juxta clarum textum concilii Tridentini, cit. sess. 25. cap. v. Item notare debent, quod si reverendissimi ordinarii, vel ex officio, vel ab aliis requisiti circa clausuram monasterii exempti, visitationem, vel inquisitionem instituere velint, eos nullatenus impedire valeant, eo quod in puncto clausuræ etiam monasteria exempta monialium subsint jurisdictioni episcopi tanquam apostolici delegati, textu claro concilii Trident. loc. cit. et tenent hodie doctores communiter; quod etiam a sacra Congregatione declaratum est, ut refert Hyacinth. Donatus, tom. IV, tract. III, q. 4; Navarrus, Lezana, et Barbosa, in concil. Trident. loc. cit. n. 13. Expedi tamen, ut episcopus in monasteriis exemptis cumulative cum superioribus ordinis procedat, prout notat Hyacinth. Donatus, loc. cit. et patet ex Bulla Pii V. *Circa Pastoralis*, ibi : « Una cum superioribus eorum : » quod si tamen superiores concurrere recusant, privative et solus procedere potest. Imo juxta novissimam declarationem cardinalium 1640. 26 maii editam, si vult, id potest superioribus regularibus non requisitis, etiam in casu, ubi nulla habetur suspicio violatæ clausuræ. Verba declarationis, quam habet Barbosa in concil. Trident. loc. cit. n. 13. sunt sequentia : « Sacra congregatio concilii censuit episcopum Colimbriensem uti Sedis apostolicæ delega-

tum potuisse quoad clausuram monasterii monialium conventus De Cellas ordinis Cisterciensis regularibus ejusdem ordinis subiectum visitare, etiam assumpto secum vicario generali, et confessario earumdem monialium monialesque ipsas in iis quæ ad eandem clausuram pertinent, examini subicere, semotis etiam suspicione violatæ clausuræ, ac quacunque superiorum regularium negligentia, ipsisque inconsultis, et irrequisitis. Ac insuper eidem episcopo licuisse rectorem collegii dicti ordinis, ex supra dicta causa inobedientem declarare in pœnam excommunicationis, ac alias comminatas incurrisse. »

68. *Exire e monasterio religiosus sine licentia expressa vel interpretativa non potest.* — Queritur X. In quo consistat, et quomodo obliget clausura monasterii regularium virorum, tam quoad egressum, quam quoad ingressum mulierum in illud. Resp. I. Clausuram monasterii virorum in hoc consistit, et obligat, ut nullus religiosus absque licentia superioris, et socio per superiorem assignando, e clausura monasterii exeat. Ita communis, et patet ex constitutione Clementis VIII. super reformatione regular. edita, quæ incipit *Nullus*, ordine 9. in *Bullar. Cherub.* ubi § 12. ad propositum ita statuitur : « Nullus e conventu egredi audeat, nisi ex causa, et cum socio, licentiaque singulis vicibus impetrata, ac benedictione accepta a superiore, qui non aliter eam concedit, nisi causa probata, sociumque exituro adjungat, non petentis rogatu, sed arbitrio suo, neque eundem sæpius. Licentiæ vero generales exeundi nulli concedantur. Contravenientes autem pœna gravi, etiam carceris superioris arbitrio plectantur. Eandem etiam janitor habeat, si sciens exeundi facultatem fecerit : cum autem quis in conventum revertitur, superiorem iterum adibit benedictionem recepturus, qui a socio itineris rationem, et quid rei actum sit, diligenter perquirat. »

69. *Exiens sine licentia non peccat mortaliter.* — Non peccat tamen mortaliter, sed tantum venialiter exiens de die sine licentia, nisi ex contemptu, aut cum scandalo id faciat, uti contra Suarez bene docet, et solide probat Navarrus, comment. 4. de Regul. n. 35; Barbosa, in *Concil. Trident.* sess. 25, cap. IV, n. 3; Miranda, tom. I, q. 32, a. 2, conclus. 2; Lezana, §. *Clausura*, et communis aliorum. Ratio est, quia cum clausura